

DISSERTATIO CRITICA  
DE  
CICERONE POËTA.



QUAM,

CONS. AMPL. FAC. PHIL. REG. ACAD. ABOËNSIS,

PRÆSIDE

*FRANCISCO M. FRANZEN,*

HISTOR, LITT. PROFESSORE REG. ET ORD. ET REG.  
ACAD. BIBLIOTHECARIO,

PRO GRADU

PUBLICO EXAMINI MODESTE OFFERT

*GUSTAVUS FRIDERICUS HJERPPE,*

WIBURGENSIS.

IN AUDITORIO MAJORI DIE 19 JUN. MDCCC.

H. A. M. C.

---

A B O Æ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

IN  
SACRAM REGIAM MAJESTATEM  
SPECTATÆ FIDEI VIRO,  
*AMPLISSIMO ATQUE CONSULTISSIMO*  
DOMINO  
*ERICO JOHANNI POMOELL,*  
AD REG. SUPR. DICAST. ABOËNSE ASSESSORI,  
PATRONO PROPENSISSIMO,  
AVUNCULO ET BENEFACTORI PIA MENTE  
OBSERVANDO!

*Pagellas hasce, quas tibi, Avuncule Benignissime,  
gratisimo pectore confecro, nutu accipias sereno, rogo,  
ad cineres permanfurus*

AMPLISSIMI NOMINIS TUI

*cultor devotissimus*  
GUST. FRID. HJERPPE.



### Proœmium.

Ciceronem, optimum oratorem, pessimum fuisse poetam, vulgare est iudicium. Quod tamen temere esse latum, nonnulli existimant: & pauca admodum poetæos Ciceronianæ ad nos pervenisse specimen, animadvertentes; & fragmenta ejus, quæ nobis conservata sunt, poetica haud carere virtute, arguentes. Inter quos eminet *Middleton*, auctor libri Anglici, vitam Ciceronis excellentissime describentis, characteremque ejus cum civilem ac moralem, tum etiam literarium, vere & subtiliter definiens. a)

Alii autem, qui communem quidem non oppugnant sententiam, jure tamen mirari sibi videntur: Ciceronem, cum phantasiæ ditissimæ ac ingenii sagacissimi vi, tum orationis uberrimæ, numerisque & figuris exquisitissimæ facultate ornatum, versumque

A con-

---

a) *The History of the Life of M. T. Cicero by Conyers Middleton.* E ceteris venæ Tullianæ defensoribus *Regnerium Desmarais*, Gallicum librorum Ciceronis de divinatione traductorem, & *Turnebum* nominasse sufficit; quorum hic vel famosum illum versum:

O fortunatam natam me Consule Romam!  
defendere conatur. Vid. *Advers.* L. III, c. 19.

construendorum jam a pueritia studiosum, infelicem evasisse poëtam. Quæ vero observatio ad quæstionem ducit: quid sit discrimen poëseos & eloquentiæ tantum, ut qui in hac excelluerit, in illa vix mediocritatem adfecutus sit: quamvis & eædem fere ingenii vires ab oratore ac a poëta desiderentur, & idem sit utriusque artis organum, dictio scilicet & sono & imagine perfecta. De qua igitur re breviter disferere, specimen edituri Academicum, nobis proposuimus: ita scilicet, ut primum in historiam carminum Ciceronis inquireremus, deinde autem laudem ejus poëticam penderemus, tum etiã discrimen poëseos & eloquentiæ paucis ostenderemus. Quam vero disertatiunculam publico jam subjicientes examini, indulgentiam illam a L. B. nobis expectamus, qua leves hujusmodi opellæ legi ac æstimari solent.

§. I.

Poëtam nasci: recte quidem dicitur, si intelligitur: nativam quandam vim ingenii, quæ a corporis forte structura pendens, arte comparari non potest, *b)* ad poëmata fingenda esse necessariam. Quæ autem  
vis

---

*b)* Quid Cicero ipse de ea re senserit, ex his elucet. "Atque sic a summis hominibus, eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia & doctrina & præceptis & arte contare, poëtam natura ipsa valere, mentis viribus excitari, & quasi divino quodam spiritu inflari." Pro Archia c. 8.

vis ut explicetur, plusque vel minus præstet: locus, tempus, educatio ceteræque res circumstantes efficiant, necesse est.

Ciceroni igitur, poëtæ futuro, res fere omnes favebant. Natus erat in agro Arpini: loco amœnissimo, aptissimoque ad ingenium juvenis s̄vavissimis naturæ imaginibus tempestive locupletandum. Naturales loci hujus deliciae, quas etiamnum mirantur, qui monasterium Dominicanorum ibi hodie situm visitant, Atticum ita capiebant, ut exclamaret: "Equidem qui nunc potissimum huc venerim, fatiari non queo: magnificasque villas & pavimenta marmorea, & laqueata tecta contemno. Ductus vero aquarum, quos isti Nilos & Euripos vocant, quis non, cum hæc videat, irriserit? — Mirabar, ut dixi, te tam valde hoc loco delectari. Nunc contra miror, te, cum Romæ absis, usquam potius esse." *ε*)

Tempus autem, quo vixit, neque exemplis, neque rebus, poëtam excitantibus, carebat. Floruerant jam ante Ciceronem natum non modo poëtæ dramatici, ad Græcorum artem formati, quorum sententias memoria sæpe repetebat; sed etiam Ennius & Lucilius, Auctores vere Latini, lingua quidem rudes, sed ingenio clari, quorum illum præcipue æstimasse ac imitatus esse videtur. Suo autem ævo Lucretius &

A 2

Ca-

---

*e*) Vide præclarum locum *L. II. C. I. de Legibus*,

Catullus majorem adhuc diutiusque duraturam inter vates sibi acquisiverant laudem: ex quibus illius de rerum natura carmen præclarum Ciceronis manus post mortem auctoris emendasse perhibetur; *d*) hic autem oratoriam amici facultatem epigrammate (47) egregie laudavit. Chilii præterea poëtæ & Attii vel Attilii, tragicorum celeberrimi, commercio usus est; ad æmulationem ejus excitandam apto. *e*)

Res vero, quæ poësi tempore Ciceronis favere deberent, erant cum opes ac luxuria, quæ & urbem & villas excellentissimis Græcorum artificiis ornabant, tum etiam civitatis agitationes virorumque summorum memorabilia facta: illis scilicet phantasiæ omnis generis pulchritudinem exhibentibus; his vero & enthusiasmum excitantibus, & dignissimam præbentibus canendi materiam.

Educatio denique Ciceronis, poëtæ formando, quam maxime erat apta. Præceptorem enim habuit *Lic. Archiam* celeberrimum vatem, qui versibus Græcis varias res a Romanis gestas descripserat: *f*) e diviti Græcarum literarum fonte delicias poëleos pueri animo mature instillantem. Cujus de sua educatione immortalia merita in oratione pro eo habita, Tullius grate & fervide laudat.

§. 2.

*d*) Vid. Eusebii Chronicon,

*e*) Ad Atticum I. 9. 16. Brut. c. 28.

*f*) Pro Archia c. 9. 11.

§. 2.

Quæ igitur institutio effecit, ut non modo artem poëticam summi æstimaret, g) & "mira benignitate poëtarum ingenia foveret" (Plinii utor verbis Junioris); h) sed etiam ipse versibus pangendis mature studeret.

Nam, cum puer adhuc esset, carmen mythicum de *Glauco Pontio*, olim piscatore Bœotio deinde autem herbæ cujusdam magica vi in Deum marinum mutato, i) versu tetrametro finxerat: a Plutarcho laudatum, k) jam vero perditum.

Adolescentulus l) quoque *Arati Phænomena* & *Diofemeia* latine transtulerat: cujus operis pauca su-

A 3

per-

g) "Suo jure noster ille Ennius sanctos appellat poëtas, quod quasi Deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. Sit igitur, judices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc poëtæ nomen, quod nulla unquam barbaria violavit. Saxa & solitudines voci respondent, bestię sæpe immanes cantu flectuntur, atque constitunt; nos instituti rebus optimis non poëtarum voce moveamur"? Pro Archia c. 2,

b) Epist. III. 15.

i) V. Pauf, Bœot. c. 22.

k) In Cicerone.

l) De natura Deorum, L. II. c. 41. Hoc carmen non antea a Cicerone esse editum, quam cum consulares suas orationes collegisset, ex his ejus verbis ad Atticum, L.

persunt fragmenta: cum in libris ejus profaïcis dispersa *m*), tum seorsim conservata. Deinde autem in laudem conterranei sui *C. Marii* carmen edidit heroicum: quod & Attico approbatum, Scævolæ ita placebat, ut de eo (epigrammate, ut videtur, factò), prædiceret:

*Canescet sæclis innumerabilibus. n)*

Quod vero vaticinium injuria temporis ita frustravit, ut non nisi quosdam servaverit versus. *o)* Atque memorabile est: quercum illam Arpinatum, hoc carmine celebratam, de qua loquuntur Atticus & Quintus Cicero, Frater nostri (de leg. I. 1.), eam scilicet ingenio fatam nunquam esse morituram, dicentes: jam non carmini isti, sed alii profaïco auctoris sui libro, immortalitatem suam debere.

Nescio an in juvenilibus Ciceronis operibus habenda sint hæc etiam carmina. Unum est *Limon*, cujus nomen (a Græco vocabulo *λειμων*, pratum significante derivatum) florilegium indicare videtur: e  
quo

II. 1: "Prognostica mea cum oratiunculis propediem expecta" *Middleton* (Sect. IV.) efficit: minus tamen probabiliter, ut nobis videtur. Mittebat enim Cicero in Attici Bibliothecam multos alios libros, jampridem editos,

*m)* V. in primis De Nat. Deor, II, 41. sqq.

*n)* De Legibus I. 1.

*o)* De Divin. I. 47.



quo Donatus, Terentii vitam describens, hos conservavit versus:

Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,  
conversum, expressumque Latine voce Menandrum  
in medio populi sedatis vocibus effers:

quidquid come loquens, atque omnia dulcia liquens.

Alterum est *Alcyones*: cujus meminit Julius Capitolinus in descriptione vitæ Gordiani primi. Ex eo autem hæc tantum lacinia superest, apud Nonium, verbo Prævius.

— Hunc genuit claris delapsus ab astris,  
prævius Auroræ, solis noctisque satelles.

Scripterat præterea Cicero elegiam, *Tamelastin* appellatam: cujus unicum versum:

Jam mare Tyrrhenum longe penitusque palumbes  
reliquit —

Servius ad Virg. Ecl. 1. conservavit; atque *Libellum jocularum*: e quo Quintilianus (VIII. 6.) hoc citat epigramma:

Fundum Varro vocat, quem possum mittere funda,  
— ni tamen exciderit, qua cava funda patet.

Quod facetiarum, quibus est laudatus Cicero, lectorem admoneat. Lascivi præterea epigrammatis, in Tironem, Ciceronis alumnum & libertum, facti Plinius Junior (Epist. VII. 4.) mentionem facit: ingenium illud versibus laudans:

— quo

— quo feria condidit, & quo  
humanis salibus, multo varioque lepore,  
magnum ostendit mentes gaudere virorum.

Carminum *Uxorii* & *Nili* non nisi nomina supersunt, a Julio Capitolino l. c. commemorata. Qui Ciceronem e Demetrio etiam versus latine transtulisse refert. Ipse autem quaedam Homeri se vertisse narrat: *p)* cujus versionis duo supersunt specimina, unum ex *Iliade*, portentum, in *Aulide* visum, describens, alterum ex *Odyssea*, cantum *Sirenium* repetens. *q)*

Præcipuum autem carminum Ciceronis fuisse videtur, quod, peractis jam in republica egregiis laboribus, poetiis studiis animum recreans, *r)* *de suis temporibus* sive *de consulatu suo*, *s)* tribus conscripserat libris. Quos non nisi multos post annos edidit "quia verebar, inquit, non eos, qui se læsos arbitrarentur, (etenim id feci parce & molliter) sed eos, quos erat infinitum bene de me meritos omnes nominare

---

*p)* De Fin. Bon. & Mal. V. 18. De Divin. II. 30.

*q)* LL. cc.

*r)* Ab orationibus disjungo me fere, referoque ad mansuetiores Musas: quæ me maxime, sicut jam a prima adolescentia, delectarunt. Ad Fam. I. 9.

*s)* Diverfos esse tres libros *de Consulatu suo* a Libris *de temporibus suis* nonnulli conjiciunt, sed sine firma ratione. Cfr. l. c. & ad Attic. II. 3.

re t). Alio autem loco u) "multa in illis esse scripta ἀριστοκρατίας, observat: quod etiam editionem eorum forte impediērit. A trium Musarum nominibus appellati, ita constructi fuisse hi libri videntur, ut alia Musa in alio loqueretur: in secundo scilicet Urania v), in tertio Calliope; Musæ autem, quæ in primo loquendi partes gesserit, nomen ignotum est. In fine secundi habuit etiam Jupiter orationem: de qua fratrem admonet Quintus, ad tempus, in quo literas scripsit, illam sine dubio adplicans. Ex hoc carmine versus 78 in C. II. L. I. de Divin. præter aliud minutius fragmen, conservati sunt. x)

Ejusdem otii poetici fructus, duo erant poemata, in laudem Julii Cæsaris confecta. Unum est, de quo ad Quintum Fratrem (II. 15.): "quoniam in isto homine colendo, inquit, tam indormivi diu, te me hærcule sæpe excitante, cursu corrigam tarditatem, tum equis, tum vero (*quoniam scribis poema ab eo nostrum probari*) quadrigis poeticiis." De quo forte carmine sollicitus, quod scilicet laudasset, quem antea vituperaverat, Attico (IV. 15.) significat: "subturpiculam ei videri hanc palinodiam." Aliud porro ad Cæsarem panxit poema epicum: quod innuere quadri-

B

gæ

t) Ad Fam. L. I. 9.

u) Ad Att. II. 3.

v) De Div. I. 11.

x) Ad Attic. II. 3.

gæ istæ poëticæ nobis videntur; addit nempe: "modo mihi date Britanniam, quam pingam coloribus tuis," (erat nempe Quintus Cæsarem in Britanniam secutus), "penicillo meo. Sed quid ego? quod mihi tempus, Romæ præfertim, ut iste me rogat, manenti, vacuum ostenditur? Sed videro: fortasse enim (ut fit) vincet tuus amor omnes difficultates." Manifestum est, hic de novo carmine fingendo mentionem fieri, præter illud, quod probatum jam a Cæsare esse, scripserat. De illo igitur intelligendum est, quod III. 4. ad Fratrem legitur: "Poëma, ad Cæsarem, quod composueram, ineci. Tibi quod rogas, quoniam ipsi fontes jam sitiunt" (erat nempe etiam Quintus poëta *y*) "si quid habebō spatii, scribam." *z*) Deinde autem (III. 8): "Quod me, inquit, institutum ad illum poëma jubes perficere: etsi dissentus cum opera, tum animo sum multo magis, quoniam tamen ex Epistola, quam ad te miseram, cognovit Cæsar me aliquid esse exorsum, revertor ad institutum." In nona denique ejusdem libri Epistola: "quod me hortaris, ait, ut absolvam, habeo absolutum, suave, mihi quidem ut videtur, ἔπος ad Cæsarem." Videtur igitur hoc carmine Britannicam hujus expeditionem Cicero cecinisse: Fratrem scilicet materiam ei suppeditante. Vide quæ supra citata sunt, ex Epistola 15. Libri II. ad Quintum fratrem; & hæc, quæ in 16 ejusdem libri

---

*y*) Ad Quintum Fr. II. 16. De Leg. I. 1.

*z*) Cfr. ad Quint. Fr. III. 4, 5.

bri leguntur: "Te vero ὑποθεσὼν scribendi egregiam habere video. Quos tu litus, quas naturas rerum & locorum, quos mores, quas gentes, quas pugnas, quem vero ipsum imperatorem habes! Ego te libenter, ut rogas, quibus rebus vis, adjuvabo, &, tibi versus, quos rogas (poëma scilicet ad Cæsarem), γλαῦχ' εἰς Ἀθηνᾶς, mittam. Utriusque ad Cæsarem carminis nihil superest.

Præter latina autem carmina, etiam Græcum de consulatu suo Ciceronem scripsisse *Middleton* α) contendit: ex his ad Quintum fratrem (II. 16.) dictis id colligens: "Sed heus tu, celari videor a te, quomodo nam, mi frater, de nostris versibus Cæsar? nam primum librum se legisse scripsit ad me ante; & prima sic, ut neget se *ne Græca quidem meliora legisse.*" Ex ultimis vero his verbis ellici posse, versus Ciceronis Græce fuisse scriptos: haud credimus: quid enim impedit, quominus Cæsar Latinum poëma laudaturus, Græcis illud conferret exemplis. Videntur autem nobis tres de temporibus suis Ciceronis libri hic esse intelligendi: quorum primum librum antea Cæsar legerit & æstimaverit; de reliquis autem iudicium suum cum auctore nondum communicaverit.

§. 3.

Cicerone vivente, versus ejus plurimorum obtinuisse applausum, probabile est. Vix enim tot tan-

---

α) Sect. VI. not. 156.

taque carmina scripsisset, si mox, æque ac postea, irrita fuissent. Et Attico, & Scævola, & Cæsari, & Quinto fratri, ceterisque literarum cognitione ornatis viris, ea placuisse, ex iis quæ supra dicta sunt, elucet. E quorum laudatione id quidem detrahendum est, quod amicitia, vel adulatio forte, Cæsaris saltem, addidit: qui autem virum sibi & dilectissimum & maximi æstimatum ad carmina, quibus non nisi ignominiam acquireret, haud essent adhortati. Inimici autem, cum vel moralem vel oratoriam ejus laudem frangere nequirent, in versus ejus invaserunt β); imprimis autem famosis illis:

O fortunatam natam, me consule, Romam!

Cedant arma togæ, concedat laurea laudi! γ)

invidiam excitaverat: adversariis sæpius illos irridentibus. Sic Piso v. c. Tullio ex exilio reverso: "Non ulla tibi, inquit, invidia nocuit, sed versus tui. Nimis magna pœna, te consule, constituta est sive malo poëtæ, sive libero," Cui hic respondens, oratione in illum habita: "Te non Aristarchum, ait, sed Phalarim Grammaticum habemus, qui non notam apponas

β) Vid. De Officiis L. I. c. 22.

γ) *Laudi* esse legendum, non *linguæ*: cum inepta lingua & laureæ oppositio, tum hæc verba confirmant, quæ in orationis in Pisonem c. 30, ubi de eodem versu Auctor loquitur, occurrunt: non modo amplissimæ, sed etiam minime *laudi lauream* concessisse.

ponas ad malum versum, sed poetam armis persequare." δ)

Mortuo autem Cicerone, contraria fuerunt de carminibus ejus hominum judicia: aliis nempe ea approbantibus; aliis vero maxime vituperantibus. Mutata Republica, nomen acerrimi libertatis defensoris Imperantibus invisum erat. In aula igitur Augusti vel eloquentiam ejus laudare ita timebant, ut Virgilius palmam oratoriam genti Romanæ potius abriperet, quam Ciceroni eandem porrigeret. ε). Minime igitur carminibus ejus parcebant: perfectis posteriorum poetarum artificiis illa haud juste comparantes. Præsertim autem pessimos illos versus, quos nuper citavimus, adulatores præsentis potentiae maligne carpere, teste Quintiliano, non desinebant. ζ)

Sed postea etiam, cum laudem Pompejani tacere non amplius cogentur, illi ipsi, qui eloquentiam ejus ceterasque dotes vehementer admirati sunt, suis simul præclaris operibus judicandi potestatem adepti: Musam tamen Ciceronis contemnebant. Sic *Seneca Rhetor* in proœmio libri III. controversiarum: "Ciceronem, ait, eloquentia sua in carminibus destituit." Item *Seneca philosophus* de versibus Cleanthis, quos ipse latine traduxerat; "si placuerint, inquit, boni

B 3

con-

---

δ) Orat. in Pisonem c. 29, 30.

ε) Orabunt causas melius &c. *Æneid.* VI. 850.

ζ) Iustit. Orat. L. XI. 1, XII. 10.

confulas: si displicuerint, scies, me in hoc secutum Ciceronis exemplum." <sup>η)</sup> *Juvenalis* autem, cujus notissimum est elogium:

Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit;  
alio loco *ridenda* ejus loquitur *poëmata*; versumque illum:

O fortunatam natam me consule Romam  
repetens, acerbe exclamat:

Antoni gladios potuit contemnere, si sic  
omnia dixisset. — Satir. X. v. 122.

*Martialis* quoque celebre est epigramma in *Gaurum* (ll. 89.).

Quod nimio gaudes noctem producere vino:  
Ignosco: vitium, Gaure, Catonis habes.  
Carmina quod scribis Musis & Apolline nullo:  
laudari debes: hoc Ciceronis habes. &c.

Auctor denique *dialogi de oratoribus*, Tacito adscripti, de Cæsare & Bruto loquens (c. 21.): "fecerunt & carmina, inquit, & in Bibliothecas retulerunt, non melius quam Cicero, at felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt.

Laudavit vero poësin Ciceronis *Plutarchus* <sup>θ)</sup>: non minorem eum fuisse poëtam quam oratorem, narrans.

<sup>η)</sup> Epist. 107.

<sup>θ)</sup> In initio Biogr. Ciceronis.



rans. Sed cum linguam latinam non bene se calluisse, ipse sit testis  $\rho$ ), iudicio ejus non est valde fidentum. Potius autem Plinii Junioris auctoritatem respiciamus: qui laudem Ciceronis non modo in eloquentia, sed in poësi etiam æmulatus esse videtur.  $\kappa$ )

Hæc igitur si colligimus & conferimus suffragia, magis contra, quam pro poësi Ciceronis, sine dubio valent. Cauti tamen esse debemus in ea prorsus reprobanda, ac in magno viro, quod sæpius fit, irridendo. Nam etsi ineptum sit, testimonia eorum, qui & carmina ejus integra legerunt, & de poësi latina, melius certe, quam nos, judicandi jus habuere, tollere velle; multæ tamen res observandæ esse nobis videntur, quæ irrisionem, qua poëtam nostrum insecti sunt, non satis justam esse, faciant.

Primum enim est memorandum: tempore Ciceronis poësin ita adhuc non fuisse perfectam, definitam ac a ceteris literarum studiis separatam artem, ut non quisque fere harum cultor versus facere tentaret. Præter laudatos enim Brutum & Cæsarem, etiam Sylla, Hortensius, Catullus, Scævola, Varro, Atticus ceterique in republica honoribus literisque ornati viri carmina panxerant;  $\lambda$ ) quorum autem conatibus ignovit postera ætas, unius Ciceronis famam dete-

$\rho$ ) In initio Biogr. Demosthenis.

$\kappa$ ) Epist. V. 3. VII. 4.

$\lambda$ ) Vid. Plinii Epist. V. 3.

deterere invidiose studens, cujus tamen poëticam virtutem illorum rudimentis longe antecessisse, nullum est dubium.

Nocuit deinde poëtæ nostro duplex comparatio. Una erat Ciceronis vatis cum Cicerone oratore: quo enim majorem orationibus comparaverat laudem, eo feverius erat de carminibus ejus judicium: summis scilicet ingeniis multo minus quam mediocribus indulgente hominum vel invidia vel perfectæ excellentiæ desiderio. Altera erat comparatio ævi Ciceroniani cum proximo sæculo Augustano: in quo poësis tam rapidos fecerat progressus, ut major esset differentia inter versum Virgili & Lucretii, quam inter hujus & Ennii.

Præterea observandum est, carmina Ciceronis, non sua asperitate sola, sed etiam, & quidem præcipue, jactantia Auctoris, qui ipse suam cecinerat laudem, risum excitasse & reprehensionem. Excerptis igitur ex operibus ejus versiculis illis duobus de consulatu suo, superbia non minus quam *δοξασια* peccantibus, omniumque ore cantitatis: irreparabile fecerat poëtica ejus laus damnum. Difficillima enim est delatu nota ridiculi, poëtæ vel forte impressa: pleisque scilicet carmina, de quibus judicant, ne legentibus quidem.

§. 4.

Verum autem poëleos Ciceronianæ pretium æstimatu, nobis est difficillimum: quibus ne unum quidem

dem poëma totum est conservatum. Considerem, tamen vel parva, quæ supersunt, specimina.

Præcipuum est fragmentum metaphraseos Phænomenon & Diosemeion Arati. Quam quidem duriusculam esse, non negamus. Sed ne Græcum quidem exemplar admodum svave est poëma; neque rei ipsius, neque picturæ jucunda varietate animum nostrum valde movens. Juvenile autem est Ciceronis opus: qui, Astronomiæ parum peritus, ne mentem quidem auctoris semper intellexit: quod Grotius  $\mu$ ) animadvertit, qui, collectis fragminibus versionis Ciceronianæ, lacunisque suo ingenio feliciter impletis, ex illis totum quoddam composuit: horrorem truncati laceratique corporis (Oliveti utor locutione) ita dispellens. Idem poëma deinde & Germanicus Cæsar & Avienus latine verterunt: quorum ille novum fere finxit poëma, sæpe non nisi materiam ex Arato mutuatus. Avieni autem interpretatio auctorem propius sequitur. Quam cum opere Ciceronis ut comparare possis, specimen utriusque hic apponemus. Eligimus autem locum de Dracone, quia ejus descriptionem laudat Lucilius Balbus, apud Ciceronem de Natura Deorum (L. II. 4.) disputans; multaque ex hoc carmine memoria se tenere dicens.

C

*Cice-*

---

$\mu$ ) Vid. Hug. Grotii Syntagma Arateorum: Notæ in Cic. fragm. p. 72.

*Ciceronis est:*

Has inter, veluti rapido cum gurgite flumen,  
 torvu' Draco serpit, subter superaque revolvens  
 sese, conficiensque sinus e corpore flexos. —  
 Huic non una modo caput ornans stella relucet,  
 verum tempora sunt duplici fulgore notata,  
 e trucibusque oculis duo fervida lumina flagrant,  
 atque uno mentum radianti sidere lucet:  
 obstipum caput, & tereti cervice reflexum,  
 obtutum in caudam majoris figere dicas.

*Avieni.*

Inter utramque dehinc præclari nominis Arcton,  
 ceu circumflexo sinuantur flumine lapsu,  
 squammeus agmen agens Draco volvitur, atque  
 spirarum curvis anfractibus; hunc quoque ut artus  
 longius effusum spatiosa volumina tendunt —  
 Nec, quæ stella caput flammaram insignit honore,  
 sola micat, solave rubent incendia crista:  
 sed fetosa duplex adolet duo tempora fulgor,  
 & duo sub geminis oculi fulgoribus ardent.  
 Unicus ignis item mento æstuat, ipsaque forma  
 verticis, in nutum veluti curvata parumper,  
 qua per dimensos dimittitur ordo meatus,  
 flectitur, atque Helices caudam spectare videtur.

E prognosticis etiam, quæ phænomena sequuntur,  
 locum afferre lubet, utriusque interpretis artem ul-  
 terius ostendentem.

*Cice-*

*Ciceronis.*

Rava fulix itidem, fugiens e gurgite ponti,  
 nuntiat horribiles clamans instare procellas,  
 haud modicos tremulo fundens e gutture cantus.  
 Sæpe etiã pertriste canit de pectore carmen,  
 & matutinis acredula vocibus instat,  
 vocibus instat, & asfiduas jacet ore querelas,  
 cum primum gelidos rores aurora remittit.  
 Fuscaque nonnunquam cursans per littora cornix,  
 demersit caput, & fluxum cervice recepit.

*Avieni.*

Et cum parva fulix trepido petit arva volatu  
 stagna sinens, longasque iterat clangore querelas,  
 indicat insanis freta mox canescere ventis.

— Si crebro garrulo hirundo  
 stagna adeat, ratilæ cum sint primordia lucis:  
 si matutinas ululæ dent carmina voces,  
 improba si cornix caput altis inserit undis  
 flumine terga rigans, si sævit gutture rauco,  
 plurimus abruptis fundetur nubibus imber.

Qui deinde e carmine *de suo consulatu* servati sunt  
 versus, historicum illud opus poëticis haud fuisse de-  
 stitutum ornamentis, produnt. Qualis est descriptio  
 ominum bellum Catilinarium antecedentium, ab U-  
 rania facta. Cujus hoc sit exemplum:

Jam vero variæ nocturno tempore visæ  
 terribiles formæ bellum motusque monebant:

multaque per terras vates oracla furenti  
pectore fundebant, tristes minitancia casus. —

— Pater altitonans, stellanti nixus Olympo,  
ipse suos quondam tumulos ac templa petivit,  
& Capitolinis iniecit sedibus ignes.

Tum species ex ære vetus, generataque Nattæ  
concidit, elapsæque vetusto numine leges:

& divum simulacra peremit fulminis ardor.

Hic silvestris erat Romani nominis altrix  
Marta, quæ parvos Mavortis femine natos  
Uberibus gravidis vitali rore rigeat:

quæ *tum cum* pueris flammato fulminis ictu  
concidit, atque avulsa pedum vestigia liquit.

Qui versus, si duros illos sonos, species ex & *tum cum* exceperis, nec imaginum vi nec verborum harmonia carere tibi videntur.

Omniū autem versuum Ciceronis, qui ad nos pervenerunt, præstantissimi hi certe sunt: e carmine *de Mario* conservati.

Hic Jovis *Altisoni* subito *pinnata satelles*,  
Arboris <sup>v)</sup> e trunco, serpentis faucia morfu,  
ipsa feris *subigit transfigens unguibus* anguem  
semianimum, & *varia graviter cervice micantem*:  
quem *se intorquentem* lanians, *rostroque cruentans*,  
jam satiata animos, jam duros ultra dolores,

abji-

---

v) Quercus forte *Marianæ*, supra memoratæ. Vid. De  
Lug. I, 1.



abjicit *efflantem* & laceratum *affligit in undas*,  
 feque obitu a solis nitidos convertit ad ortus.  
 Hanc ubi præpetibus pennis, *lapsuque volantem*,  
 conspexit Marius divini numinis augur,  
 faustaque signa suæ laudis, reditusque notavit:  
 partibus *intonuit cæli pater ipse* finistris.

In qua pictura felicem cernere mihi videor Ho-  
 meri imitorem, singulo fere verbo vivam menti i-  
 maginem sistentis.

Similem ex Homero locum, a Cicerone ipso la-  
 tine versum, hic asserre haud erit ineptum. Occur-  
 rit ille in Iliados II. Rhapsodia; Metaphrasis autem in  
 c. 30. L. II. de Divinatione reperitur.

Argolicis primum ut vestita est clasibus Aulis,  
 quæ Priamo cladem, & Trojæ, pestemque ferebant;  
 nos circum latices gelidos, fumantibus aris,  
 Aurigeris divum placantes numina tauris,  
 sub platano umbrifera, fons unde emanat aquai,  
 vidimus immani specie, tortuque draconem  
 terribilem, Jovis ut pulsu penetraret ab ara.  
 Qui platani in ramo foliorum tegmine septos  
 corripuit pullos: quos cum consumerit cæto,  
*nona super tremulo genetrix clangore volabat;*  
 cui ferus immani laniavit viscera morsu.  
 Hunc, ubi tam teneros volucres matremque peremît,  
 qui luci ediderat, genitor Saturnius idem  
 abdidit, & duro formavit tegmina saxo.

Nos autem timidi stantes mirabile monstrum  
vidimus in mediis divum versarier aris. &c.

Quod legens fragmentum, cujus decimus inprimis  
versus Virgilio dignus esse nobis videtur: quis non do-  
leat, omnia, quæ Cicero ex Homero transtulerat, ad  
nos non pervenisse?

Hæc igitur sunt specimina: e quibus poësis Ci-  
ceroniana nobis judicanda est. Quæ, si carminibus  
vel sui vel anterioris ævi, quæ nos novimus, com-  
parantur, omni haud carent virtute. Ennii quidem  
& Lucilii poëmata, etiam ævo Augusti laudata, ora-  
tionis splendore longe superant: ad Lucretii autem  
dicendi genus proxime accedunt.

Ne tamen nimis magnam poëtæ nostro tribuere  
laudem videamur: duas addemus observationes.

Primum igitur, cum plurima ejus carmina hi-  
storica essent, quæ res nuper gestas tractarent: illa,  
quamvis poëticis ornata figmentis, vera tamen haud  
fuisse poëmata, patet. Debuit enim in illis & Histo-  
rici & poëtæ munus conjungi: quod vero an unquam  
bene fieri possit, dubitamus: cum illius sit *τα γινόμενα*,  
hujus vero *ὅσα γένοιτο* exponere: quæ est Aristotelis  
vera & subtilis definitio *ο*). Jure igitur monet Petro-  
nius *π*): "res gestas versibus comprehendendas non  
esse,

---

*ο*) Poët. c. 9.

*π*) Satir. c. 118.



esse, quod longe melius Historici faciunt." Quam sententiam confirmant exempla & Pharsaliæ & Henriados: quæ, summorum auctorum opera, sententiarum quidem gravitate versuumque nitore excellunt: libero autem carent creatis ingenii spiritu. ρ) Quod iudicium de Ciceronis etiam carminibus omnino valere, haud dubitamus; in quibus scilicet ornamenta poetica non e re ipsa nata, sed rudi quodam artificio adposita esse videntur.

Omina quidem & auguria, melius quam Musarum ministeria, cum rebus narratis contexta sunt: sed accumulatio eorum in exemplo, quod e libro de consulatu superest, narrationem fere onerare, nobis videtur: qui tamen caute de his *disjecti membri poetæ* iudicare debemus. Ceterum, in his operibus antiquorum poetarum Latinorum exempla, Nævii scilicet Ennii & Attii, qui magnam Historicis poematibus comparaverant laudem, Cicero secutus est. Atque facilem forte male electi argumenti veniam obtinisset, si elocutionis virtute summa & perpetua inventionis obtegisset vitium.

Sed caret, (quod deinde observare volumus) poetica Ciceronis dictio plerumque & læta abundantia, & facili venustate, & numeris exquisitis, quibus orationes excellunt. Est nempe in versibus plurimis

---

ρ) Vid. *Ueber die Wirkung des Historischen Gedichts in Nachträge zu Sulzers Theorie der schön. Künst.* T. 5. St. 1.

mis & asperi aliquid & duri & inconcinni: atque etiam puerilis interdum. Peculiare autem illis est vitium syllabarum antanaclasis, quam Cicero in veruum sine præsertim affectavit. Præter illa *fortunatam natam & lauream laudi*: hæc vide exempla: e carmine de consulatu collecta, quod inprimis hoc vitio laborasse videtur, unde & infames illos versus desumptos esse, verisimillimum est.

*Ætheris æterni septa atque inclusa cavernis,  
Lustrati & læto mactasti lacte Latinos.  
Cum claram speciem concreto lumine luna.  
Terribiles formæ bellum motusque monebant.  
Vocibus Allogrobum patribus populoque patebat.*

Quæ figura quamvis mere artificialis ac naturæ contraria non sit, quippe quæ cum versu Fennico est quasi connata; aurem tamen aliæ harmoniæ versus Latini advetam offendit, nec in his exemplis nisi puerile & affectatum est ornamentum.

Ex his omnibus colligimus: Ciceronis immortale nomen poëtæ nimbo non quidem dedecorari, sed insignem tamen non acquirere laudem: cum oratoria ejus laus poëticam totam fere obscuret.

§. 5.

Revertentes igitur ad quæstionem: cur summus orator non nisi mediocris fuerit poëta? paucissimis deni-

denique verbis, temporis angustia coacti, illam explicare conabimur.

Nil nisi studium impediisse, quin poësis Ciceronis eloquentiæ laudem æquiparasset: *Middletoni* σ) concedere, non quidem possumus. Nec tamen negamus, oratorem & in foro & in senatu occupatum, honoribusque in civitate obtinendis omnes intendentem ingenii vires, otio, quo egent poëtæ & animi & vitæ, caruisse. Sed & ante inceptos & post finitos in republica labores, illum carminibus fingendis satis magnam dedisse operam: jam commemoravimus. Atque ad causas, quas poësi ejus utiles fuisse supra diximus, hanc ipsam addimus rem: quod in civitate, vehementibus agitata rerum perturbationibus, versatus, magnisque gerendis rebus adstrictus, & humani animi, fortibus moti affectibus, naturam variosque hominum mores observandi, & grandibus rerum imaginibus excelsisque pro patria & libertate consiliis cum phantasiæ sublimem efferendi vim, tum peëtoris excolendi generositate, amplam habuerit occasionem. Argumentum autem, quo præcipuo sententiam suam Anglus ille Auctor confirmare studet, est affinitas utriusque artis. Eandem scilicet phantasiæ vim, inventionis fertilitatem, dictionisque copiam

D

piam

---

σ) Sect. XII. His poetical genius, if it had been cultivated with the same care, would not have been inferior to his oratorical.

piam & euphoniā ab oratore ac a poëta desiderari, observans: facultatem oratoriam etiam poëticam quasi includere, putat. τ) Verum, in hoc asserito aliquem esse errorem, existimamus.

Primum enim poësis & eloquentia, quamvis eodem utuntur instrumento, lingua scilicet, consilio tamen ita discrepant, ut contrariis omnino agant viis. Quod enim est unius finis, alterius est adminiculum. Poëtæ est placere, oratoris autem persuadere. Cum igitur homines persuadere nequeamus, nisi eis placeamus, non vero placeat nisi pulchrum; facile quidem apparet, cur orator non minus quam poëta orationis studeat pulchritudini, figuris & numeris efficiendæ. Similiter cum hominibus placere nequeamus, nisi intellectui eorum verisimile aliquid sistamus, (*rien n'est beau que le vrai*); poëtæ non minus quam oratori probabilitatem esse quærendam, patet. Sed ille probabile adhibet, quia pulchrum est: hic autem pulchrum, quia probabile est. Ille intellectum persuade-

det

---

τ) L. c. The two arts are so nearly allyd, that an excellency in the one seems to imply a capacity for the other: the same qualities being essential to them both: a sprightly fancy, fertile invention, flowing and numerous diction.

det (ficta v. c. verisimilia reddendo), ut phantasiæ placeat; hic autem phantasiæ placet, (belli v. c. ad quod incipiendum hortatur, gloriam pingendo), ut intellectum persuadeat. Ille igitur in argumentando etiam est pictor: hic autem in pingendo etiam argumentator. v)

Est vero præterea etiam alia poëseos & eloquentiæ differentia. Illa nempe in artium liberarum numerum est referenda: quæ, abstracta e natura rerum & animi humani generali idea pulchri, nil aliud, nisi hanc artificio suo quam perfectissime proponendam, respiciunt. Eloquentia autem libere non agit: ad certum nempe consilium, quoque tempore obtinendum, suam persuadendi vim serviliter applicaturæ. Poëtæ v. c. non magis quam pictori, licitum est: *humano capiti cervicem jungere equinam:*

D 2

etiam

v) An huic definitioni conveniat *Kantii* Theoria, in libro *Critik der Urtheilskraft* statuentis, poësin esse: *die Kunst ein freyes Spiel der Einbildungskraft als ein Geschäft des Verstandes zu betreiben*; eloquentiam autem: *die Kunst ein Geschäft des Verstandes als ein freyes Spiel der Einbildungskraft zu betreiben*: nescimus, cum e libro isto, quem legendi occasionem non habuimus, non nisi hæc verba, ab alio auctore. citata, cognoscamus,

etiam si oppidanis suis tali compositione forte placeat. Oratorem autem, a quo *argumenta ad hominem* quaecunque adhibeantur, etiam absona dicere decet: dummodo apta sint ad auditores suos persuadendos. Ille, bombycis instar, pulcherrimam quam potest, a se ipso ingenii sui, naturæ quidem cognitione nutriti, telam evolvat. Hic vero, api similis, ex omnibus, quas attingit rebus, id conquirat, quod ad speciale suum & temporarium consilium aptum & utile sit.

Ciceronis igitur ingenium ea ipsa re, quod esset maxime oratorium, minime fuisse poeticum, judicamus. Quo enim callidius fuit, ad videndum, quid in quaque re ad consilium tempus, locum, homines ceteraque orationem suam determinantia, esset quam maxime accommodatum: eo facilius ab una illa pulchritudinis idea, quæ poetæ est libere persequenda, seducebatur: quod & carmina sua ostendunt, ad res politicas & historicas poësin haud feliciter, ut videtur, applicantia. Erat nempe ille argumentator, non pictor: rebusque agendis, non fingendis natus. Versabatur in civitate, non in orbe idealis poetarum. Omnia quæ discerebat, cogitabat, scribebat, agebat, ad rem publicam vitamque communem

nem referebat. Ergo in epistolis non inferior est, quam in orationibus. In philosophicis autem scriptis eo superior, quo minus extra proximam rerum humanarum sphaeram sese extollere conatur. Verbo: practicum non theoreticum, civitati non scholae natum, Romanum non Graecum, illud erat ingenium: quod "solum populus Romanus par imperio suo haberet." φ).

---

φ) Vid. M. Annæi Senecæ Controv. L. I. Proœm.



